

DE  
SUPEREMINENTIA  
MAGISTRATUS CHRIS-  
TIANI

ex Dicto Rom. XIII, I - 4.

*Altdorfl d. 8. Febr. A. O. R. M DCCII.*

IN AUDITORIO THEOLOGORUM  
disquirent

P R Æ S E S

CHRISTOPHORUS **S**onntag/  
SS. Theol. D. ejusdemque primarius &  
Græcæ Linguae Professor, nec non Ecclesiæ  
Oppidanæ Antistes,

&

R E S P O N D E N S

JOHANNES ADAMUS **P**resenreuther /  
Neostadio ad bina Culmina Francus.

*Altdorfl Noricorum,*

Typis Jodoci Guiljelmi Kohlesii,

*a. CXV. 30.*

Coll. diss. A  
15, 30

MA GIST RY A T B U C H T  
S T A N N  
I n d i e s R o m a n i s c h e n  
A b t h e i l u n g e n  
B R 2 2 2 2



C H R I S T O P H O R U S  
22. Theol. D. eius scripturae  
Graecae Linguae Prolusio, nec non  
Quaestiones Antiquae  
RESO R T I M  
J O H A N N E S M A T T H A E U S  
Lecturae et Praelectiones  
M I L L I T A R I U M  
T H E O R I A C O M M U N I S

1787



AMBITUM  
 LOCI HUTTERIANI  
 DE  
 MAGISTRATU POLITICO

Ἱππομάδην comprehendit

DICTUM ROM. XIII, 1.—4.

1. Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίας ὑπερεχούσας ὑποτασσέσθω. Οὐ γὰρ ἐστὶν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ, αἱ δὲ ἔσται ἐξουσία ὑπὸ Θεοῦ τεταγμένα εἰσὶν.
2. Ὡς οὖν ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ, τῇ Θεοῦ Διαταγῇ ἀνθεστηκεν. Οἱ δὲ ἀνθεστηκότες ἑαυτοῖς κρῖμα λήψονται.
3. Οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβου τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν. Θέλεις δὲ μὴ φοβεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν, τὸ ἀγαθὸν ποίησαι, καὶ ἔξεις ἔπαινον ἐξ αὐτῆς.
4. Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστί σοι εἰς τὸ ἀγαθόν. Ἐὰν δὲ τὸ κακὸν ποιῆς, φοβεῖ. Οὐ γὰρ εἰκὴ τὴν μάχαιραν φορεῖ. Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν, ἐκδικεῖ εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι.

VERSIO THEOD. BEZÆ:

*Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto. Non enim est potestas, nisi à DEO; & quæ sunt potestates, sunt à DEO ordinata. Itaque quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent. Nam Magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non terreri potestate? Quod bonum est, facito, & laudem ab ipsa obtinebis. DEI enim minister est tuo bono. Quod si feceris, quod malum est, metue: Non enim frustra gladium gestat. Nam DEI minister est, ultor ad iram, qui, quod malum est, fecerit.*

MEMORIA-  
LE I. DIS-  
QUISITO-  
RIUM.

COMMODOVM ANTE OMNIA DEPREHENDIMVS,  
NONNULLA DISQVIRERE, AD EXPLICATIONEM ET  
APPLICATIONEM ORACVLI HVJVS APOSTOLICI  
CONDVCTVRA.

§. I.



Vb frontispicium *Politices Christianæ*, ceu Phil. Melanchthon Caput XIII. Epistolæ ad Romanos salutavit, in disquisitionem venire solet, ac præsens dictum enucleaturis obviat N) *Quidnam intelligatur per πᾶσαν ψυχὴν?* Aristoteles quidem certe vocabulum πᾶς subtiliter contradistingvit vocabulo ὅλον. Lib. V. *Metaph.* c. 26. docens, diversa ratione aliud πᾶν, aliud ὅλον, aliud πᾶν καὶ ὅλον appellari. Juxta ipsum igitur & sequaces tum, cum partium transpositio nullam omnino differentiam neque in materia, neque in forma efficit, illud, quod ex iis partibus constat, ex usu loquendi non *totum*, sed *omne* dicitur. Uti *omnis aqua*, quæ est in cantharo: *omnis aër*, qui est in hypocausto. Quodsi quid horum vocitetur ὅλον, nonnisi *Metaphorice* id ita dici, monet Philosophus. Deinde cum partium transpositio undiquaque, & in materia & in forma, differentiam efficit; tum, quod ex iis constat, non *omne*, sed *totum* dicitur: ut *totum animal*, *tota arbor*, *tota navis*. Tandem, cum partium transpositio partim facit differentiam, partim non facit; tum, quod ex iis constat, diversa ratione *totum* & *omne* dicitur; ut *omne es*, & *totum es*, quatenus sic aliterve figuratum est. Applicari hoc φιλοσόφημα Grammaticum ita potest ad institutum nostrum, ut dicamus, si genus humanum consideretur tanquam aliquod ens per aggregationem, ac ceu *totum* ejusmodi, quod sub certa ratione partim simile, partim dissimilare vocites, tum vero & *omne genus humanum*, & *totum genus humanum* appellari: adeoque phrasin ad tertiam classem revocari posse. Sed enim ad Dictum nostrate attendenti ultro patebit, πᾶσαν ψυχὴν de parte magis, quam de *toto* intelligi oportere. *Omnis nempe pars*, quæ continetur sub *toto*, id est, *omnis homo subditus*, qui continetur sub societate civili, debet Magistratui decentem præstare obedientiam.

§. II.

§. II. Quid multa? Πᾶς signum universale est, non modo genera singulorum, sed & singula generum complectens. Ubi enim Scriptura generaliter loquitur, ibi nulla restrictio ab hominibus, nedum exceptio, erat audenda. *Omnis*, ait: sive sit laicus, sive clericus, sive senior, sive junior, sive honoratior, sive ex intima plebis fece oriundus. Præterea emphasis occurrit in voce ψυχῆς, quam diligenter expensam voluit Chrysostronus in h. l. Vult enim dicere: *Quicquid spiritum trahit humanum, id Magistratui tenetur obedire.* Thomas Aquinas in Comment: *Animam pro homine ponit, quia subjectionem debemus ex animo.* Cajetanus in h. l. animæ ideo fieri mentionem existimat, *ut intelligamus, non solum res nostras aut corpora nostra, sed etiam animas debere subjici Principibus secularibus in iis, quæ possunt leg. time imperare.* Et vero Glassius noster, quando animam ΨΥΧΗ in Sacris pro toto homine per Synecdochen partis poni edocuit *Rhetor. Sacr. pag. 459.* nec ejus, quod in præsentia volvimus, Dicti fuit oblitus. Conf. Gerbard. notas posthumas a Fil. Job. Ernesto editas, in Epist. ad Rom. p. 347. & seqq. Omnium significantissime jamjam laudatus Chrysostronus ad h. l. ait, hoc præcipi Πᾶσι, καὶ ἱερεῦσι, καὶ μοναχοῖς, καὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον. Πᾶσα ψυχὴ (inquit) καὶ Ἀποστόλων ἦς, καὶ Ἐυαγγελιστῆς, καὶ Προφήτης, καὶ ὅσων. *Etiam si Apostolus sis, etiam si Evangelista, etiam si Propbeta, sive quisquis tandem fueris. Idem observat, ab Apostolo non dici περιδέδω, pareat, verum ὑποτασσέδω, subditor.*

§. III. 2) Num vocabulum ἐξουσίας, Obrigkeit, h. l. veniat abstractive, num vero concretive accipiendum? Illud textui omnium simplicissime convenit. Aliud nimirum est ἐξουσία in abstracto, seu ipsa potestas; aliud vero est persona ἐξουσιάζουσα, Luc. XXII. v. 25. sive ἐξουσίαν ἔχουσα, potestatem desuper acceptam habens, gerens & usurpans, Joh. XIX. 11. Proinde Hulseus in Brev. ar. p. m. 399. hoc Paulinum ἐξουσίας vocabulum ad Magistratum, in abstracto consideratum, attinere arbitratur. Est nimirum ἐξουσία res habita, non ipsa persona habens ἐξουσίαν. Et certe si vel maxime persona Principis aut Regis (qualis erat, cum Apostolus hæc scriberet, Nero, Imperator Romanorum, qui, exacto priore sui Imperii quinquennio, portentum hominis evaserat, ut ad eo recens conversi Romani dubitare facile possent, num tam

A 3

impio

impio & crudeli Cæsari parendum foret) moritur, dignitas tamen manet. Quæ ipsa dignitas, abstractivè sumpta, NON NISI A DEO DEPENDET, ita, ut persona, quæ hanc gerit, eidem applicetur, atque inde fiat, ut actus ejusdem nullius alterius arbitrio subsint, aut per hoc irriti possint reddi. Contra modus acquirendi tyrannicus ac vitia alia, quæ personæ, hanc dignitatem gerenti, adhaerescunt, a Deo non sunt.

§. IV. 1) Quidnam sibi velit pluralis ἐξουσίας ὑπερέχουσας? Nonnulli quasvis regiminis species ac formas indigitari autumant. Gerbardus autem l. c. Apostolum ideo censet plurali numero fuisse usum, quia non solum Magistratui supremo, verum etiam inferioribus obtemperandum sit. Sive Regi, ait Petrus, l. c. v. 13. 14. ὡς ὑπερέχοντι, sive Præsidibus, ὡς δι' αὐτῶν πεμπομένοις. Quippe si respicias ad exercitium ὑπεροχῆς, identitas influxus intercedit inter Principem & subdelegatos, utut non ubique identitas auctoritatis fuerit præsto. Adeoque ὑπεροχῆ principaliter competit Magistratui supremo, minus principaliter vero etiam hujus Commissario. Hinc præter βασιλέας etiam alii dicuntur ἐν ὑπεροχῇ ὄντες, 1. Tim. II, 2. Cæterum verbum ὑπερέχειν præter loca allegata in N. T. etiam invenitur Phil. II, 3. ubi Christiani jubentur ἀλλήλους ἠγαῖσαι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, existimare alii alios sese præstantiores: sive sit præeminetia de jure, sive de facto talis. Gemella ratione τὸ ὑπερέχειν in nostra etiam sententia abstrahit a titulo primæ acquisitionis. Alias daretur progressus in infinitum, & ne ulla quidem inter homines societas civilis conservari posset, si nemo subditorum de facto teneretur obedire Magistratui præsentis, antequam titulum acquisitionis suæ ab omni contradictione liberasset. Scherzer. Syst. p. 721. Tametsi autem ipsi quoque Angeli vocantur ἐξουσία, Eph. I, 21. III, 10. Col. I, 16. 1. Petr. III, 22. Hoc tamen loco Angelicæ potestates haudquaquam possunt intelligi, idque, ut cætera mittam, vel hanc ob causam, ceu Irenæus alicubi monet, quod ἐξουσία ejusmodi hinc commemorentur, quibus tributa debentur ac penduntur. Angelis autem nulla exsolvuntur tributa.

§. V. De hac eadem μεγαλιμία, magnificentia & supereminetia Magistratus Politici Megalander Lutherus Catech. Maj. p. 441. ait; Cum nomen & titulum, uti summum decus & gloriam suam merito

rito

rito & dignissime gestent; vicissim & nos debemus eos, ut digni sunt, omni honore ostenso; magnificere, ut thesaurum in terris omnium pretiosissimum. Quæ causa erat præcipua, ob quam Jacobus Esavi fratris faciem appellaret faciem Angeli, Gen. XXXIII, 10. licet ejusdem naves & scelera parum ignoraret. Es ist alles dahin gerichtet / weil Esau ein grosser Herr war / weit über Jacob / darum siehet er ihn an / als seinen Herrn / und leugnet nicht / sondern ist sein Ernst / Theandro ad h. l. commentante. Neque vero Magistratui hanc *προεδριαν* vendicantes conditionem respiciunt humanam, quæ ratione nativæ originis in Imperantibus & parentibus est æqualis; sed voluntatem potius divinam, quæ solis imperantibus hoc axioma concessit. Neque subditi constituunt Magistratum *αυτοκρατορικως* (ita enim dignitati persona applicatur, non personæ dignitas, utpote quæ personam moriente manet) verum *διακονικως* tantum & subordinate. Præterea licet Magistratus sit propter subditos; inde tamen non sequitur, quod subditi Magistratui præcellant. Alias etiam servus Domino, discipulus Præceptore major esset. Accommodabilis huc est ritus, quo Imperatores inaugurati clypeo imponi, militum humeris elevari, totique exercitui monstrari solebant. Sunt nempe Magistratus Clypei terra, Ps. XLVII, 10. B. D. König. Cas. Consc. p. m. 715. & seqq.

§. VI. 7) Quomodo accipi debeat vox GLADII, v. 4. (*ὅτι γὰρ εἶναι τὴν μάχαιραν φασεῖ*) proprie, an improprie seu tropice? Propria significatio anteferenda est, cum talis intelligatur gladius, qualem Petrus temeritate privata sumpserat Matth. XXVI, 52. & quali pereunt, quos punire ita potest Judex, ibid. quando homicidas morte plectit, Ex. XXI, 12. coll. cum Lev. XXIV, 17. & quando bellum gerit. Vid. Scherzer. l. c. p. 733. & seqq. Id quod tenendum contra Sociniantes Arminianos Apol. fol. 141. scribentes, vocem gladii quemlibet defensionis modum, etiam qui sine sanguine fit, significare posse. Ast, Quenstedio System. part. 4. p. 432. monente, proprietati vocis insistendum est h. l. nec citra causam impropria significatio fingenda. Imo, quod agatur hic de potestate severioris vindictæ adversus facinorosos, ac de jure gladium in eos stringendi, omnes textus circumstan-

cumstantiæ edocent, cum Apostolus hic Magistratum, velut militem armatum, uti loquitur Chrysoſtomus, delinquentibus terribilem præficiat.

§. VII. ¶) *Esqui nullus, nisi a DEO ordinatus, Magistratus dari possit, cum ille tamen, Petro agente, sit κλίσις ἀνθρωπίνη? Conciliatio facilis est. Subordinata quippe non opponenda; neque a dicto κατὰ τι ad dictum ἀπὸ τῶ: insubide arguendum fuerit. Non, nisi a DEO, est Magistratus, in abstracto, & simul in ordine ad primam originem seu causam efficientem principalem consideratus. Idem tamen ἀνθρωπίνη κλίσις est, in ordine ad causam efficientem instrumentalem, sive ad homines eligentes; in ordine ad subjectum, quod ab hac potestate denominatur; in ordine ad formam ab humana electione aut successionem dependentem; & in ordine ad finem, qui est εὐδαιμονία καὶ ἀνταρξία hominum in societate civili degentium, spectatus. Quid multa? Vocatur illa κλίσις creatura humana eo, quod a DEO non immediate, sed mediate, sive mediantibus hominibus, per homines, ex hominibus, & inter homines sit constituta. Interim DEVS hodiernum est causa supremi Magistratus immediata, si respicias ad ejus essentialia; sin ad circumstantialia, tum Majestas a DEO mediate, seu mediantibus hominibus, jam secundum voluntatem DEI, jam contra voluntatem DEI sub his aut aliis ceremoniis certæ alicui personæ confertur.*

§. VIII. Quando igitur Clarissimi inter se certant Politici, quorum alii contendunt, in Interregno penes Rempublicane residere potestatem civilem, & ab ea deinde transferri realiter in Magistratum electum, alii vero, personam Magistratus a Republica tantum eligi, electæ verò Majestatem ab ipso DEO tribui, statuunt; utrumque horum eleganter conjungit Zieglerus in Not. ad Grot. Lib. 1. de Jur. B. & P. c. 3. p. 126. Potestas, inquit, imperandi a DEO confertur immediate, perinde, uti potestas docendi, solvendi & ligandi, administrandi sacramenta &c. quæ Ministro Ecclesiæ competit. Quemadmodum igitur populus eligendo Pastorem non confert potestatem istam, nec conferre potest, quia scilicet eam nunquam habet ipse; sed personam electam potestati, a DEO immediate proficiscenti, applicat: Haud aliter & eligendo Regem non confert potestatem, sed personam electam producit, eamque destinat ad exercitium pote-

pote-



potestatis illius a Deo immediate conferenda. Vid. D. Alberti additam. Kromayer. p. 544. & seqq. p. 557.

§. IX. 1) Conveniatne vocabulum ἐξουσία quodammodo cum vocabulo משפט 1. Sam. VIII, 11. ? R. Quatenus vocabulum ἐξουσία seu jus denotat facultatem sive potestatem aliquam, quæ competit nobis, & cujus ratione hoc aut illud recte facere licet; eatenus negari nequit illa, quæ inter ipsum, & vocabulum משפט, quodammodo intercedit, convenientia. Non desunt quidem, qui vocabulum משפט l. c. aliter interpretentur, rati, id denotare potius consuetudinem; quo significatu reperiri constat 1. Sam. II, 13. ומשפט הכהנים & pravus mos erat Sacerdotum (filiorum Eli) fuscinis tridentibus ex aheno attrahere carnes sacrificantium. Ita ergo R. Jehuda apud Kimchium autumat, quod לא נאמרה פרשה זו אלא ליראם non dictus sit hic textus, nisi ad terrendum eos; & R. Levi Ben Gerson: אחשוב שאין המלך מותר באותם הענינים אבל רצה שמואל ליראם ולבהלם והודיעם מה שיעשה המלך כשיתחזק על מלכתו כשיקשרו ולהם Existimo, quod non concessa sint Regi talia, sed voluerit Samuel ipsis terrorem incutere, monstrando, quid ausurus sit Rex, postquam corroboratus fuerit in regno suo, & illos coacturus. Vid. Schickardi משפט המלך p. 160. seqq. Atque adeo secundum hos jus Regis, ibi descriptum, non ἐξουσία divinitus concessa Magistratui, sed usurpativum modo & tyrannicum dominium foret.

§. X. Rectius ergo B. Hulfem. Brev. Extens. cap. XX. & seqq. evicit, jus Regis esse ἐξουσία, Regi divinitus indultam, ac talem, qua Magistratus, urgente Reip. conservandæ necessitate, salva conscientia uti possit. Id quod probat 1) inductione specierum, ibi determinatarum. Quid magnum enim, si Rex, urgente Reip. necessitate, tollat filios & filias subditorum, illosque præficiat curribus, equis, armaturæ suæ? Quid magnum, si aliis utatur ad operas rusticas, aliis ad operas œconomicas, quæ fœmellis attribuuntur v. 13. non voluptatis explendæ causa, sed quod ad has operas, unguentariam, culinariam & pictoriam

B

riam

riam habiles sint; ad illas, militares nempe & rusticas, non  
 æque? Æquum tamen, ut uterque sexus, qui ad defensionem  
 & gubernationem suam Regis operam quasi conduxit, quisque  
 pro conditione sua, etiam conferat ad onera Reip. levanda, &  
 mercedem Regi persolvendam. 2) ex cap. X, 25. ubi dicitur,  
 hoc ipsum *jus Regis* publicatum esse plebi, consignatum & de-  
 positum in Archivo sacro, idque non solum exprobrationis &  
 terroris causa, prout virga Aaronis, quæ germinaverat, eun-  
 dem ob finem asservata ibi legitur Num. XVII, 25. verum etiam  
 ad notitiam obligationis subditorum conservandam, uti dici-  
 tur cap. VIII, 9. *Inculcando inculcabis hoc illis, & indicabis.* Hanc  
 inculcationem sequebatur *populi submitio voluntaria*, & susce-  
 ptio formæ regiminis hujus, etiam cum isto onere v. 19,  
 20. quam submissionem acceptavit Deus, & sub hac condi-  
 tione cum illis contraxit, Regemque præfecit v. 22.

§. XI. Patet hinc, משפט in loco allegato non esse pra-  
 vam aliquam consuetudinem, verum ἐξουσία legitimam divinitus con-  
 cessam, quam Jonathan Ben-Uziel, Paraphrastes Chaldaeus per  
 נִימוֹסֵה legem, & Kimchius ipse per חוק statutum exponit. Proin  
 Maimonides apud Schickardum l. c. ait: כל האמור בפרשה,  
 מלך מלך זוכה בו Quæcunque hoc textu dicta sunt, competunt  
 Regi; quantumvis addat limitationem de agris, olivetis & vi-  
 neis, quas servi Regis depascere queant, בשילכו למלחמה,  
 אם אין להם מה שיאכלו quando in militiam abeant, & si  
 non habeant aliud, quod edant. Quam limitationē David exemplo  
 suo comprobat 2. Sam. cap. ult. v. 21. quando Arafnæ arcam non  
 gratis petit, nedum invito extorquet, ut Achabus Nabotho  
 vineam 1. Reg. XXI, 16. Conf. ea, quæ objici possunt, accu-  
 rate discussa ab Hulssem. l. c. & adde sis ea, quæ ex Wan-  
 dalino ad Schickard. l. c. annotavit B. D.  
 Carpvovius.

UNAM

UNAM PORRO ET ALTERAM, EX ARTICULO XVI. AUGUSTANÆ CONFSSIONIS DEPROMPTAM, ASSERTIONEM VERBO DEI CONFORMITER ENUNCLEATUM IBIMUS, IDQUE, UT HUIUS LOCI THE-  
 SIS EO MELIUS SIBI CONSTET.

MEMORIALE  
 II. ASSER-  
 TORIUM.

## §. I.

**A**sertio I. Augustana: *Ordinatio Magistratus Politici est bonum opus DEI.* Id sibi vult Apostolus in Textu nostro, usus contentionis exegeticæ schemate, ad rem eo plenius inculcandam. *Non est, inquit, potestas, nisi a DEO; & quæ sunt potestates, a DEO sunt ordinate.* Contentionis exegeticæ schema dixi; quandoquidem Apostolus non est is, qui recens conversos suos Romanos eo, quod Christiani sint, Magistratui & Imperatori suo Ethnico immorigeros esse vult, nedum seditiosos. Proin tam negantem, quam ajentem hic sententiam conjungit. Negantem: *Non est potestas (ne Ethnica quidem) nisi a DEO.* Ajentem: *Quæ sunt potestates (sive sint Ethnicæ, sive Christianæ) a DEO sunt ordinate.* Opposita nempe, juxta se posita, magis elucescunt. Anabaptistæ jam ante exhibitæ Confessionis Augustanæ tempora rebellionem contra Magistratum, etiam Christianum, moverant. Præterea Monachi quidam admodum tenuiter judicabant de hoc vitæ genere, utpote imperfecto, & in quo nemo salvari posset. In hos dirigitur præsens articuli XVI. comma, ceu ex ejusdem antithesi liquido patescit. Si enim non est potestas, nisi a Deo; sequitur, quod ordinatio Magistratus Politici sit bonum opus Dei, sit ordinatio Deo placens; neque imperfectionis alicujus redargui debeat; neque dici, quod nemo, in illo statu vivens, salvari queat.

§. II. Consonant huic assertioni alia quoque Scripturarum Sacrarum oracula. *Judicium ipsum Dei est*, Moses ait Deut. I. 17. *Deus adstat in cœtu Dei fortis, inter Deos judicat*, Ps. LXXXII, 1. i. e. inter Magistratus, qui sunt vicarii Dei in administrando jure, juxta notam Tremellianam & Junianam. Conf. Exod. XXII, 28. Joh. X, 34. Rex Josaphat edixit Judicibus: *Videte, quid sitis facturi. Non enim pro homine judicaturi estis; sed pro Deo, qui vobiscum futurus est in judicio*, 2. Par. XIX, 6. Et Sapiencia Dei

personalis Prov. VIII, 15, 16. *Per me, inquit, regnant Reges, & Domini decernunt justitiam. Per me Principes gerunt principatum, & ingenui Judices terræ.* Quorsum Daniel Propheta respexit II, 21. ajens: *Ipsè transfert Reges & constituit Reges: dat sapientiam sapientibus & scientiam intelligentibus.* Inde clarior sole meridiano evadit assertio augustissimæ Confessionis nostræ, quod ordinatio Magistratus Politici sit bonum opus Dei. Scilicet majoris perspicuitatis in gratiam argumentari ita lubet: Si a) *Deus transfert & constituit Reges, ß) per ipsum regnant Reges, γ) pro ipso fit judicium, & inter Deos judicat ita, ut judicium Magistratus sit ipsius Dei judicium; seqv. quod ordinatio Magistratus Politici sit bonum opus Dei. A. E.*

§. III. Assertio II. Augustana: *Christianis licet gerere Magistratum.* Pendet hæc assertio ab anteriore. Si enim ordinatio Politica Magistratus est bonum opus Dei; Si omnis potestas est a Deo; Si Deus ipse instituit & constituit Magistratus; eccur non liceat Christiano gerere Magistratum? Sanctissimi Reges & Prophetæ in V. T. gesserunt Magistratum: eccur itaque nec Christiani in N. T.? Siquidem in V. T. prædictum est, Magistratus fore Christo subjectos, Esa. LX, 3. Conf. Ps. II, 10, 11. Ef. XLIX, 23. Tolle Magistratum inter Christianos; & hi erunt similes ovibus sine Pastore, Num. XXVII, 17. Tolle Regem ex Israële; & quilibet faciet ea, quæ ipsi videntur esse justa, Jud. XVII, 6. XXI, 25. tandemque status Reipublicæ Cyclopicæ exorietur, *εὐ ἢ ἐδὲς ἐδενὸς ἐδὲν ἀνύες*; imo belluarum instar alter alterum devorabit. Placidam nempe & quietam vitam cum omni pietate ac honestate degere nequeunt Christiani, nisi orent pro Regibus & omnibus in eminentia constitutis, 1. Tim. II, 2. Quandoquidem ergo Deus honorem Regi habendum sui ipsius timori annectit, Petro ajente I. Ep. II, 17. eccur vetitum sit Christiano, personam Regis aut alius Magistratus gerere? Accedit, quod Evangelium Christianorum haudquaquam aboleat politias; & tametli danda sint Deo, quæ sunt Dei, tamen etiam dandi esse Cesari, quæ sunt Cesaris, Os veritatis proclamet Matth. XXII, 21.

§. IV. Assertio III. Augustana: *Christianis licet exercere judicia.* Quicquid a Deo in V. T. sancitum est, nec usquam abrogatum in N. T. illud frustra rejicitur ac taxatur a male animatis, A. Judiciorum

ciorum publicorum exercitium est tale. E. Major est manifesta. Minor probatur. Expendantur modo loca clarissima, quibus ejusmodi judicia demandantur a Deo & constituuntur; modusque adeo legitimus præscribitur, in iisdem observandus. Deut. XVI, 18, 19, 20: *Judices & Moderatores constituito tibi in singulis portis tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi per tribustuas, qui judicent populum judicio justo. Ne pervertito judicium, ne accipito personam, neque suscipito munus, quia munus excæcat oculos sapientum, & pervertit verba justorum. Justissimam justitiam sectare, ut vivas, & hereditario jure possideas terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi. Exod. XXIII, 6. Ne pervertito judicium egentis tui, in lite ejus. Deut. I, 16. Judicate juste inter virum & fratrem ejus. Ne conspiciate personam in judicio: Æque parvum, atq; magnum, auditote: Ne metuitote a quoquam. Conf. B. Calov. Synopsin pag. 961.* In N. T. nulladum prohibitio judiciorum talium vel ab Anabaptistis, vel a Socinianis, & horum sequacibus, judiciorum publicorum temeratoribus, ostensa est: quin contrarium elucet ex dicto nostro, in quo Magistratus dicitur ultor ad iram ei, qui aliquid mali fecerit. Si ultor; idcirco vindictam publicam, compensationem & retributionem malorum, ex mandato divino in judiciis exercere potest.

§. V. Assertio IV. Augustana: *Christianis licet judicare res ex Imperatoriis & aliis presentibus legibus.* Patet hoc iterum ex nostro Classico. Etenim si vel Ethnicæ potestati nos subordinari decet; etiam legibus ejusdem parere convenit. Nec indiget extraneo, quo suffulciatur, tibicine thesis ista. Nimirum si obsequendum est, non tantum ob iram, sed etiam ob conscientiam; sequitur, leges etiam Ethnicorum Imperatorum obligare in conscientia, idque vel ad obedientiam, vel ad pœnam, in iis determinatam; quandoquidem ἐξουσία illa, de qua Paulus hic agit, legislatoria, judicatoria & consultatoria simul est. Paulo concordat Petrus I. Ep. II, 13. arbitratus, *subjici debere Christianos propter Dominum non tantum Regi (Ethnico) ut qui superemineat; sed & Præsidibus (Ethnicis) ut qui per eum mittantur, tum ad ultionem maleficorum, tum ad laudem recte agentium.* Adde, quod leges civiles, tametsi ab Ethnicis profectæ sint; tamen ex jure naturæ, omnium hominum cordibus insculpto, velut rivuli ex fonte, ac velut conclusiones ex præmissis, sint derivatæ, & sic

a legibus Mosaicis in Decalogo non dissonæ; verum ad easdem facile reducibiles.

§. VI. Nec leve momentum positioni huic stabiliendæ addit praxis Christi & Apostolorum, leges Mosaicæ & forenses abrogatas esse testantium, & leges Imperatorum Ethnicorum (Mosaicarum, in N. T. abrogatarum, vice) observantium. Non leve, inquam, momentum sic accedit sententiæ illi, quod Christiani etiam legibus Ethnicorum Imperatorum in judicando uti possint. En tibi Christum, in statu exinanitionis voluntarie se submittentem legi Magistratus Ethnici, cum iudicatum esset a Capernaitis, didrachma accipientibus, ipsum pendere oportere tributum. *Da, inquit, eis pro me & pro te, ne offendiculo simus eis. Matth. XVII, v. ult.* Idem Pilato superne datam super se potestatem affirmat: ac serio monet, danda esse Cesari, que sunt Cesaris; adeoque & dandum esse timorem, iudicio ipsius debitum. Idem denique & Centurionem & Regulum, ex juris Romani præscripto Magistratum administrantes, in Ecclesiam recepit, atque hoc ipso usum etiam aliarum, quam Mosaicarum legum, & aliarum, quam in politia Mosaica receptorum, iudiciorum, quæ exercebant ipsi, approbavit. Paria fecit Johannes Baptista. Milites ille, qui sese subdiderant legibus ac iudiciis Romanis, non dehortatus certe est ab hac observantia; utut percontati essent: *Quid faciemus nos? Sed dixit saltem: Neminem concutite, neque dolo opprimite; sed contenti este stipendiis vestris, Luc. III, 14.* Ita nec Petrus Cornelium Act. X, 1. & seqq. ab obsequio illo, quo Magistratui suo Ethnico addictus erat, legitur abstraxisse.

§. VII. Paulus autem (qui Synodicam Spiritus S. sententiam de abrogatione legum Mosaicarum, tam ceremonialium, quam forensium, fideliter ex ejusdem Spiritus instinctu in Epistolis suis inculcat, quique Sergium Proconsulem Act. XIII, 7. 12. a fide illa, qua is Magistratui suo Ethnico sese ante conversionem adstrinxerat, ut descisceret, non legitur adhortatus; imò qui in Dicto nostro satis categoricè Christianos Romanos Romano Magistratui Ethnico obedientiam præstare debere sciscit) suò ipsemet exemplò, eoque satis illustri, comprobavit, quod Christianis liceat iudicare res ex imperatoriis (utut Ethnicis) & aliis præsentibus legibus. Etenim (disertè provocat ad privi-

privi-

privilegia Politicæ Romanæ Act. XXII, 25, ajens: Num hominem Romanum, nondum convictum, flagellare licet? Et cap. XXV, 10. Ad tribunal Cesaris (ibi me oportet judicari) appello. Idem cap. XVI, 37. ad Judiciorum Romanorum (non Politicæ Judaicæ) processum provocans: Casos, inquit, nos publice indicta causa, cum simus Romani, conjecerunt in carcerem, & nunc clam nos ejicient? Non profecto; sed veniant ipsi, & nos educant. Rumino id, quod dixi: Si Christus & Apostoli non reprobarunt judicia, ex legum Ethnicarum præscriptis lata; verum, abrogatis Mosaicæ Politicæ judiciis, potius iisdem gesserunt morem; sequitur, quod hodieum Christianis liceat judicare res ex Ethnicorum Imperatorum legibus. A. verum prius. E.

§. VIII. Assertio V. Augustana: Christianis licet supplicia jure constituere. Κολασικὴν hanc potestatem Magistratûs Christiani, adeoque ἀναγκαστικὴν in foro exteriori, oraculum nostrate confirmat mirificè per verba admodum severa: Si feceris malum, time: non enim gladium frustra gestat: quin Dei minister est, ultor ad iram ei, qui malum facit. Id quod sibi vult præceptum divinum, quod vulgo septem Noachidarum præceptis annumeratur, adeoque non ad solos Judæos, Semi posteros, pertinere antiquitus censetur Gen. IX, 6. Qui fundit sanguinem humanum, jus sanguis vicissim effundetur. Respondet huic pronunciatum Salvatoris Matth. XXVI, 52: Qui gladium sumpserit (ausu videlicet proprio, sibi non demandatum) gladiò Magistratûs vindicativo peribit. Postulat nempe ipsum met naturæ jus, ut delicta five κατ' ἴσον, five κατ' ἀνδραγαθὸν puniantur; quod ἀντιπεπονηθὸς vel ipsi Ethnici non negarunt, secuti Rhadamantheum istud: οἷά τ' ἀνὴρ πέζη, τοῖον τέλος αὐτὸν ἰκάνει. Proin, describente Gratio, pœna vocari potest malum passionis, quod ob malum actionis infligitur, quippe Magistratu, qui punit, expiationem delicti, & emendationem societatis maxime intendente.

§. IX. Assertio VI. Augustana: Christianis licet jure bellare, militare. Germ. richte Kriege führen / streifen. Argumentum hinc è Textu nostro liquidissimum nascitur: Si gladius est Magistratui Christiano datus; sequitur, eum posse jure bellare, seu bellum justum gerere. Dico: Justum. Requiritur nempe justa & sufficiens bellandi causa, five defensivum, five etiam offensivum fuerit

fuerit bellum, quorum hoc maxime citra necessitatem præsentissimam non debet suscipi. Absit igitur temeritas, & semper ante oculos versetur illud Poëtæ: Nulla salus bello. *B. Menzer. Exeges. in A.C.p. 567.* Notetur tandem pro assertionis βεβαιώσει, quod 1) sub auspiciis N. T. a Johanne Baptista militibus regulæ fuerunt præscriptæ, quo pacto nempe sine læsione conscientiæ possent militiam gerere. 2) Christus ipse simile de bello, quæ ratione suscipiendum sit, adduxit Luc. XIV, 31. ac militem in suum peculium assumpsit Matth. VIII, 5. quod postea & Petrus fecit Act. X, 1. prioris ep. cap. II, 14. docens, *Magistratum esse datum ad vindictam nocentium.* Jam vero & bellum est species vindictæ. Arguo tandem ita: *Quod in V. T. licitum fuit, id in se peccatum minime est;* alioqui non fuisset licitum jure divino, nedum mandatum. *Bella in V. T. fuerunt licita Num. XXXI, 2, Jos. I, 6.* quod ipsi quoque Anabaptistæ, Sociniani, & quidam Arminiani, bellorum etiam justorum antimachi, non negant, *Vid. Calov. l. c. p. 961. & sequ.*

MEMORIALE CUM SUMMA MAJESTAS, UTPOTE τὸ πᾶνλαχὸν κύριον, SIT  
 III. REFU- OMNIUM REGALIAM σύλληψις S. COMPLEXUS, ISTA  
 TATORIUM. CERTE ὑπεροχὴ S. SUPEREMINENTIA, MAGISTRA-  
 TUI CHRISTIANO VEL MAXIME COMPETENS,  
 A PAPIZANTIBUS QVIBUSDAM, NEC NON CALVI-  
 NIANORUM UNO ET ALTERO, CUM PRIMIS AU-  
 TEM AB ANABAPTISTIS ET SOCINIANIS FRU-  
 STRA NEGATUR.

## §. I.

Nullam religionem Interesse Principum Christianorum sanctius observare, quam Lutherano-Evangelicam, cum celebri Theologo Dano, *Dn. D. Masio* asserimus. Neque enim ulla est, quæ supereminetiam Magistratus Christiani, divinitus huic per Textus nostri verba vindicatam, constantius tueatur. Quod ad regnum enim Papale, idque Ecclesiasticum, attinet; illi certe, qui sunt hujus dedititii, quique sub hoc vivunt ac sunt de Ecclesia Pontificia (nam de omnibus, qui sunt



funt in Ecclesia Pontificia, minime gentium id dixerō; quia plurimos ibidem inveniri credo, qui mihi adstipulentur) Magistratum verbis quidem magnificis interdum extollunt; re autem ipsa & in praxi non raro deprimunt. Eccur enim Pontificem suum ipfimet Imperatori anteferunt, hunc cum luna, illum cum sole comparantes? Eccur potestatem illi assignant Imperatores & Reges de jiciendi & removendi? Id, quod *D. Menzero docente Exeg. in Aug. Conf. p. 569.* exempla Leonis tertii Græci, Hilderici Franci, Henrici quarti, Ottonis quarti, a Pontificibus Gregorio VII. & Innocentio IV. deponitorum, abunde comprobant. Et in recentiore memoria sunt exempla excommunicatorum Henrici IV. Galli & Reip. Venetæ; qui tamen postea recepti sunt & restituti.

§. II. Sed enim non veretur scribere *Emanuel Sa*, rebellionem Clerici in Regem non esse crimen læsæ majestatis, hac adjecta ratione, quia Clericus non sit subditus Regi, apud *Menzer. l. c.* Subtilior aliquanto videtur Cardinalis *Rob. Bellarminus, lib. 1. de Pontif. Rom. cap. 7.* ajens: *Reges præesse hominibus Christianis, non ut Christianos, sed ut Politicos. Nam ut Christiani (addit) oves sunt, Pastoribus Episcopis subjecti.* Perinde vero est, ac si quis hunc in modum sophisticari animum inducat, ut statuatur, subditos parere Christianis Regibus, non ut Christianos, verum ut politicos. Nam iidem subditi, ut Christiani, ipsi quoque sunt Reges, ipsi sunt uncti, sunt nomen & omen Regum unctorum gerentes, cum Reges e contrario fuerint identidem servi vitiorum. Merito inutilis appellaretur hæc subtilitas, & funiculum ex arena neclere putaretur, si quid ei tribuere lubitum foret (perinde fere, ac frigida est illa abstractio, quam Cardinalis alibi obtrudit, contendens, quod Salomon Abjatharem deposuerit ab officio non ut Rex, sed ut Propheeta, I. Reg. II, 2.) Ita ergo Bellarminiana præcisio Regum, qua Christiani sunt, a Regibus, qua sunt politici, seu mavis, abstractio Christianismi a politia haud multum soliditatis in recessu habet; quandoquidem Christianismus & Evangelium ex verbo veterum non abolent politias. Quin nomen Christianorum generale est, ac tam auditoribus, quam Clericis, tam ovibus, quam Pastoribus commune. Si ergo Christi affectus debet esse in ovibus; eccur non in Pastoribus? Ille vero erat  
C Christi

Christi affectus, ut obediret Patri suo Phil. II, 5, 8. atque Pilati potestati, desuper factæ in ipsum, se submitteret, Matth. XXVII, 21. Eccur itaque Clerici Pontificiorum hunc Christi affectum, hanc subjectionem, hanc obedientiam, Magistratui debitam, eatenus respuunt ac detrectant, quatenus ipsosmet Reges, ut Christianos, sibi subiectos esse, cum Patre suo purpurato contendunt? Sed & Christi vas electum Paulus, dum ad Cæsarem provocat, eo ipso, se Cæsari subesse, significat. Eccur ergo Paulinam hanc subjectionem eatenus minus amulantur?

§. III. Ecquisnam porro est, qui sese extollit super omnem, qui dicitur Deus, & super omne *σέβασμα*, ita, ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus, 2. Thess. II, 3, 4? Nul- lus omnino, nisi is, qui sibi tribuit *ἐξουσίαν* in omnes, quos Deus ulla autoritate & eminentia in ordine Politico & Ecclesiastico ornavit, utut ipsum civili potestati, gladio armatæ, Paulus sub- jiciat Rom. XIII, 1. Vid. Coccej. de Antichrist. p. 26. Non ergo ha- bebat Cornel. a Lap. Comm. ad 2. Thess. II, 4. p. m. 677 quod nega- ret, per *λεγόμενον Θεόν* aut *λεγόμενος Θεός* Reges & Principes hic intelligi, & contenderet, verum hic Deum significari, nempe Deum Deorum, contra quem sese Antichristus sit elevaturus & magna locuturus, Dan. XI, 36, 37. Contradicit enim Cornelius gemino Spiritus S. effato Ps. LXXXII, 6. Ego dixi: Dii estis; & I. Cor. VIII, 5. *Ἐισὶ λεγόμενοι θεοί*. Unius deinde po- sitio non est remotio alterius. Adversatur Deo in cælis; Ad- versatur Diis terrestribus Antichristus. Illud Daniel in allegato; hoc Paulus in nostro loco asserit; quanquam is revera, qui se extollit in omnem Deum *λεγόμενον*, etiam se extollat super Deum *ἀληθινόν*, utpote cujus ordinem conculcat. Qui enim Magistra- tui resistit, ordinationi Dei resistit, uti est in Classico nostro. Si- militer dominationis contemptores audaces, sibi met placentes, & *δόξαι* blasphemantes, Judas Apostolus notat Ep. v. 8, 9.

§. IV. Nec habebat C. Scoppius, quod verba; In tem- plo sedebit, interpretaretur de Templo Hierosolymitano, ratio- nem interferens, quod in Novo Testamento Templi vox nunquam aliter usurparetur. Nam si ex hypothese Pontificio- rum venturus est Antichristus annis demum tribus & dimidio ante Christi adventum ultimum, utique in Templo Hieroso- lymitano sedere non poterit. Id enim jam pridem destructum, & in

& in

& in sempiternum non restaurandum esse, constat. Præterea scribit hæc Apostolus Thessalonicen sibus, quos sane non ex Græcia in Judæam ablegat, sed ad Ecclesiam, quam domum Dei viventis appellat 1. Tim. III, 15. Cæterum quod vox Templi in N. T. haud semper Templum Hierosolymitanum significet, id sole meridiano clarius est ex I. Cor. III, 16, 17, VI, 19, II. Cor. VI, 16. Apoc. III, 12. VII, 15. XXI, 22. Vid. B. Balduin. Diatrib. Theol. de Antichristo contra Scioppium, pag. 35, 36. Uti ergo Antichristi (specificè ita dicti, & prout non pro una tantum persona, inde usque a Pauli tempore ad finem mundi victura, sed pro individuo successivo, aut successione numerica plurium individuorum, accipitur) gnorisma haud ultimum a Spiritu S. nobis revelatur, quod *in urbe septicolli*, quod *Babylone mystica*, quod *in Templo Domini*, hoc est, in ipsamet Ecclesia, quæ est domus Dei, *sessurus* sit: Ita & istud huc pertinet, quod *elaturus* sit *sese super omne orbem*, quandoquidem titulus *τὸ σεβαστὸν* ipsimet Imperatori Romano tribuebatur, Act. XXV, 21, 25.

§. V. Sed & Calvinianorum unus & alter illi Magistratus Christiani culmini axiomatice bellum indixit. Quæ n, fides, obeliscum non meretur *Miltonus*, dum parricidium, ab Anglis truncando & securi per manum carnificis necando Carolo Stuardo perpetratum, quasi legitime factum, scripto adversus Salmasium ex jure divino pariter & humano defendere annisus est? Vid. *System. Gotb. H. E. part. 2. p. 510.* Sed & *Herbornenses* a B. Menzero t. c. p. 571. ea de causa notantur, quod asseruerint, leges Mosaicas forenses in Rep. Christiana in usum revocandas; Romanorum vero Imperatorum nonnullas, quæ cum Mosaicis non consentiant, repudiandas esse, addita ratione, quia sit impiæ temeritatis, Dei semel latam de delictis puniendis sententiam ab homine mutari. Quasi vero Legislator altissimus non prædixerit, ablatum iri sceptrum de Juda, Schilo adveniente; quasi insuper leges forenses politiæ Judaicæ, qua tales, non nisi ad durationem usque illius sceptri duraturas, adeoque abrogabiliter sancitas, voluerit; & quasi in Dicto nostro Classico Paulus, *πολιτικὸν* Magistratui Romano debitam præscribens, non simul obsequium legibus illius præstandum, indixerit. Si ergo *omnis anima legibus Romanis debebat subesse sub Imperatore infideli; quanto magis, obsecro, iisdem subesse debet sub Imperatore Christiano?*

§. VI. Furor Anabaptisticus, reverentia Magistratus officiens, in articulo A. C. XVI. strictim reprehenditur ac repudiatur. Hisce succenturiati sunt: Weigeliani; Weigelianis alii complures, quorum impietatem recensuisse est refutasse. *Weigelius* quidem certe *Postill. part. 2. fol. 140.* de illis, qui facinorosos vita privant, ita judicat: *Daß sie nicht Christo folgen / sondern processum Justiniani des Heyden halten / hängen den Dieb / Köpffen den Ehebrecher / tödten die Sünder. Quae si vera sunt; mentitus est Apostolus, quando in Dico nostro Magistratui vendicat gladium. Idem ibid. fol. 337. & seqv. legi potest, ubi, nullum vectigal Magistratui pendendum esse, ut probaret, non veritus est effutire sequentia: Die Obrigkeit solte dem David folgen: Der ware ein Gast auf Erden / nahm keine Schagung / kein Ungeld. Et paulo ante: Die unchristliche Obrigkeit bezeuget (dum vectigal accipit) über sich selbst / daß sie nicht in Himmet gehören: Sie handelt wider das Gesetz und Recht Christi; sie will hier daheim seyn. Quae si denuo vera sunt; eccur Christiani, sub Rep. Romana degentes, in Dico nostro classico divinitus adiguntur ad solvendum tributum? Si etiam David nullam exactionem imposuit populo Israëlitico; eccur, malum! de duriore ipsius jugo conquerentur Israelitæ I. Reg. XI, 4? Vid, B. *Tbummii Impiet. Weigel. p. 236.**

§. VII. Sociniani tandem hic itidem perverfos & noxios errores fovent. Hinc *Ostorodus cap. 28. Instit. monet, præcepta Christi non permittere, ulli homini adimere vitam. Et Smalcus contra Franz. d. sp. 6. de reb. civ. ait: Magistratus Christianus non potest pro libitu suo, quas velit, pœnas fontibus irrogare; sed semper illi ratio habenda legum Christi, Regis nostri omnium. Idem satis scandalose Disp. de Reb. civ. sect. 2: Quemadmodum, inquit, Christus non præcepit homicidas capite plectere: sic etiam & tanto magis statuendum est, eum non præcepisse, ut adulteri vel fures capite plectantur, quanto minus est peccatum reipsa adulterium, quam homicidium vel furtum. Nam adulterium honestatem tantum alienam petit, furtum facultates: homicidium vero ipsam vitam. Idem Socinisequi negant, licere Christiano Magistratui sententias dicere ex Imperatoriis & aliis præscriptis legibus; negant licitum esse*

esse

esse Christianis gerere bellum : imo negant , licere iractare artificia , quorum opera arma parantur , quæ ad bella & interficiendos homines faciunt. Vid. B. Stegm. Photin. p. 626. & seqq. Sed confutari ex antea dictis nullo negotio possunt.

CUM IGITUR TANTA SIT, TAMQVE DIVINA SUPER-  
EMINENTIA MAGISTRATUS CHRISTIANI, FU-  
GIAMUS ET ABOMINEMUR ILLOS OMNES, QUI  
*κρυεότηλας ἀθεσίαν*, ET VEL VERBIS, VEL FACTIS,  
VEL DIRECTE, VEL INDIRECTE, IISDEM DETRA-  
HUNT, AUT DETRAHENTIBUS VEL TANTILLUM  
ASSENTIUNTUR.

MEMORIALE  
IV. REFU-  
TATORIUM.

§. I.

**N**on accedendum est Arminianis , qui libenter tolerare parati sunt eos , si qui , ut loquuntur Apol. cap. 12. fol. 141. adeo tenere , aut sic à teneris imbutæ conscientie sint , ut credant , Christiano nulli , ne quidem Magistratum gerenti , licere sanguinem effundere , aut Capitalibus suppliciis animadvertere in fontes. Neque sufficere plis & cordatis animis potest ille fucus , quem illinunt tolerantiz dogmatis hujus Anabaptistici & Sociniani , quando addunt frequentia : Dummodo ( Sociniani ) secus sentientes non damnent , ut intolerabiles , & manifeste appareat , eos , nulla alia causa adductos , ita sentire , quam quia ab animo suo contrarium obtinere non possint , parati interim rationes vicissim dare & audire sine charitatis ruptura , aut fraternitatis renunciatione. Etsi ergo dogmatis hujus ἀπελεγμὸν ac notationem alibi jam dedimus in Veneno Marteol. Armin. impugnato pag. 64. 67. 68 : Tamen ab ulteriore ejusdem praxi & æstimatione animos Christianos hac quoque occasione dehortari juvat.

§. II. Nimirum existimamus , ephecticum hujusmodi dogma πεφοκέναι five aptum natum esse ad hoc , ut supereminentiam illam Magistratus Christiani , divinitus assertam in Oraculo nostro , ad summum dubiam faciat. Quicumque igitur defendunt istud , ac publice propugnant , illi non possunt non sese redere participes scandalosorum illorum dogmatum Anabaptisticorum

sticorum & Socinianorum, de quibus hæcenus vidimus, quibus  
*αὶ κρείσθης ἀθετηταί*, ipsarumque ex alto collata ac confirmata po-  
 testas turpiter labefactata sistitur & convulsa. Ne adstipulemur  
 ergo vel his, vel illis: & quilibet, vitare volens Sociniani-  
 smum, in limine quasi & primo fere gradu devitet Arminiani-  
 smum. Qui vult vitare peccatum, *τὴν τῶν κρείσθων ἀθετησιν*;  
 is devitet occasiones hujus peccati varias, quibus ejusmodi  
 dogmatum scandalosorum admiratio & incrustatio merito ac-  
 censentur. Et quid? Anne sufficit limitatio ista: *dummodo se-  
 cus sentientes non damnet?* Nam vel Ethnicum potest esse do-  
 gma, quod secus sentientes haud damnet. Anne ratio adducta:  
*quia ab animo suo contrarium obtinere non possint?* Nam vel Judæi  
 suam hoc pacto incredulitatem excusaverint apud R. Benjam.  
*Tudelensem Itin. pag. 94.* ubi Æchmalotarcha quidam ipforum  
 ait: Scito, redemptionis tempus nondum advenisse, necdum signa no-  
 stra a nobis conspecta *שׁוֹמְרֵי תּוֹרָה לֹא יִשְׁמְרוּ* Nam inflato  
 suo animo nemo prevalebit, q. d. Es ist uns nicht gegeben / daß wir  
 anders glauben können. Sed enim commentitia hæc irresistibili-  
 tas ad extremum erroris, seu mavis, pertinaciæ Deum ipsum  
 autorem facit.

§. III. Tandem sine charitatis ruptura aut fraternitatis re-  
 nunciatione de veritate hujus dogmatis, quo statuitur, *licere  
 Magistratui capitalibus supplicis animadvertere in fontes*, rationibus  
 vicissim datis & auditis ambigere vix, credo, licebit, si præfer-  
 tim ita sis occupatus, ut ab animo tuo veram & in verbo Dei  
 probe fundatam sententiam obtinere nequeas. *Οἱ μὲν γὰρ ἀπορῶν-  
 τες, πότερον δεῖ τὰς θεὰς τιμᾶν, καὶ τὰς γονεῖς ἀγαπᾶν, ἢ ἔ, κολάσεως  
 δεόνται;* h. e. *Ipsi quidem enim ambigentes, utrum oporteat Deos co-  
 lere, aut parentes diligere, annon, pœna opus habent, juxta Philoso-  
 phum Top. I. cap. VIII.* Fugiamus multo magis illos Christiani,  
 qui dubitant, num Magistratus eo sint honore afficiendi, quo A-  
 postolus eosdem affici vult; num eo timore, eaque obedientia  
 vel coactiva prosequendi, qua Deus ipsos armavit; quique  
 hærent, num jus gladii Magistratibus (tametsi per sententiam  
 nostratam Paulinam id clara & aperta voce iisdem vindicatum)  
 competat: imo qui disputant de principio minus disputabili,  
 & inde

& inde usque ex Noachidarum memoria vel per gentium moratorum consensum stabilito: *Quicumque effuderit sanguinem hominis*, PER HOMINEM (gladium haud frustra gerentem; ita nempe ex nostro Textu accersenda est explicatio, cum alioquin homicidiorum licentia in infinitum daretur) *sanguis ejus effundetur.*

§. IV. Instas: Charitatem tamen haud rumpit ista disquisitione. Respondeo: Si fit disquisitio *μεγαλική* & exercitatoria, ad inveniendam veritatis uberiores dilucidationem aut confirmationem suscepta; quadantenus concedo: *fin* *εμολογητική*, & ad publicam doctrinæ Socinianæ confessionem attinens; nego. Argumentari juvat ita: *Quæcumque Sceptis sese participem readit dogmatis scandalosi, ac charitati Christiane adversantis, & simul ad defensionem ejusdem, ad summum indirectam, collineat; illa rumpit vinculum charitatis. Atqui hæc Sceptis est talis. Ergo.* Nervus rationis consistit in eo, quod dogmata, ad excitandas seditiones *πυρότα* s. apta nata, ne quidem cum honesta socialitate, nedum Christiana charitate sint conciliabilia. Jam autem dogmata ista Sociniana, quibus jura Magistratus attenuantur, & obedientia vel coactiva eidem abjudicatur, sunt talia. Proin charitati Christianæ e diametro adversantur. Velut ergo Pseudo prophetas ejusmodi cognoscimus ex fructibus impiæ ac seditiosæ doctrinæ: Ita tantum abest, ut eos tolerare, ut ne a ve quidem eis dicere conveniat, idque eo, ne malorum, ad quæ dogmata hæc seducere alios quoque possunt, operum fiamus participes. Satius hic est ingenuum DAMNANT cum A. C. art. 16. usurpare, quam impietatis dogmaticæ, ejusdemque manifestæ, in se recipere tolerantiam.

§. V. Caveatur tamen etiam ex parte Magistratus Machiavellismus, isque cum dogmaticus, tum actu ipso usurpatus. Sane, minister Dei si esse debet Magistratus (debet autem juxta nostratis Sententiæ elogium) Deo etiam similis sit, adeoque technas & furias istius impostoris Florentini cane pejus & angve devitet, oportet. Non desunt quidem, qui ipsum utcumque excusatum velint. Hos inter B. D. Schuppus in *Scripto von der Einbildung!* op. fol. 52, ait; *Es hat der Machiavellus etliche*

etliche Fürsten in Italia / derer Abgott Geld und Gut / der  
 verkehrte Wille ein Gesetz / der Uebermuth und Gewalt der  
 oberste Befehlhaber / Vermessenheit die größte Kunst / die Bes  
 wohnheit die beste Richtschnur / beschreiben wollen / nicht wie  
 sie seyn sollen / sondern vielmehr / wie sie damahlen gewesen seyn.  
 Verum si verba ipsa consideramus, quæ præter alia cap. 17.  
 & 18. libri de Principe attulit, in se profecto scandalosa sunt, &  
 eo nomine nullam merentia excusationem. Parvi ducat, in-  
 quit, Princeps sevitiæ nomen, quo concordēs suos in fide retineat.  
 Paucissimis enim exemplis clementior eris. Tutius est, si alterutro ca-  
 rendum, metui, quam diligi. Homines minori respectu offendunt,  
 qui student, ut diligantur, quam qui metuantur. Pulchre satis cohe-  
 rere possunt timeri, & in odio non esse. Citius parentum cædem ob-  
 livioni dant homines, quam fortunarum suarum direptionem; eri-  
 piendi tamen aliena nunquam non aderunt cause. Perpetuo causas  
 exquiret, quibus alienas opes occupet. Contra sanguinis effundendi  
 rariores sunt cause, citiusque prætereunt atque deficiunt. At Prin-  
 cipi, jam in exercitu versanti, atque multitudinis procurationem ha-  
 benti, statuendum omnino est, ut inhumanitatis nomen pro nihilo  
 ducat. Cum homines ad arbitrium suum ament, metuant autem  
 ad Principis voluntatem; Princeps, qui sapientia valet, eo, quod  
 suum est, non alienæ facultatis, niti studeat. Duo sunt genera de-  
 certandi, unum jure legum, alterum per vim; cumque illud pro-  
 prium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, &  
 non satis est uti superiore. Ideo Achilles Chironi Centauro educa-  
 dus, & in disciplinam fuit concreditus. Cum itaque Principem, ma-  
 gni referat, belluinam ingenium scire inducere; ei tum vulpis, tum  
 leonis mores assumendi erunt. Nunquam defuturæ sunt cause, qui-  
 bus in violatam fidem colorem inducat. Plurimum refert, ut quis  
 recte norit colorem vestire, cum simulando, tum dissimulando. Homi-  
 nes enim adeo simplices sunt, ut, qui fallax, & simulationis artificio  
 eruditus est, statim sit habiturus, qui se illi decipiendum tradat. Sed  
 enim his & similibus officii Pseudo-Politicis instar omnium  
 istud Salomoneum Prov. XX, 28. MISERICORDIA ET VE-  
 RITAS CVSTODIVNT REGEM; PIETAS FVLGIT SO-  
 LIVM, opponit Schickardus Jur. reg. p. 228.



§. VI. Istos proinde suo execramur merito, quibus primum Machiavellismi principium placet, tradente B. Jac. Thomasio, Annot. CXLV. ad Tab. Philof. Pract. XXXII. finem ultimum Reipublicæ esse debere non beatitudinem eam, quam ex virtutum exercitiis metimur, sed imperantium potentiam & commodum privatum, quantum esse potest maximum. Breviter, non honestum, sed utile. Idem Auctor Machiavellistas a Monarchomachis ita discernit, ut enunciet, illos e Regibus Tyrannos, hos e subditis Regicidas: illos e subditis mancipia Regum, hos ex Regibus mancipia subditorum facere. Cæterum de Atheismo Machiavelli aspergere unum juvat, quod habet B. D. Carpzov ad l. c. Schickardi p. 227. & seq. Cum nimirum Politicus iste sceleratus ob metum imminentis jam damnationis scrupulis agitaretur conscientiæ, & vero in mentem sibi revocaret, quod Viri illi magni orbisque Sapientes, Aristoteles, Plato, Alexander & similes damnati forent; viri autem sancti miseri ut plurimum fuerint, & in mundo despecti, ac variis angustiis & afflictionibus pressi, insana voce dixisse fertur: *Malo in infernum & damnationem descendere cum magnis illis & illustribus Viris, quam cum infimis istis & vilis conditionis hominibus in Cælo degere.* Satis pro præsentis.

§. VII. Caveatur nihilofecius periculosus & subtilis quorundam, Machiavellismo succenturiatus, Hobbefianismus. Etenim juxta Thom. Hobbes. Element. de Civ. c. 1. §. 2. & seqq. appetitus societatis non est homini proprius, idque propterea, quod 1) homines in societatem coeant solummodo vel commercii & officii, vel animi & hilaritatis causa. 2) quod omnes homines nascantur infantes & indocti, adeoque naturaliter societatem civilem cum vi fœderum, quibus faciendis fides & pacta necessaria sunt, ignorent: 3) quod homo extra solitudinem vivens ejusmodi solitudinis pericula ignoret. Quibus certe stantibus, bellum omnium inter omnes, honestarum societatum vinculo divinitus constricto, & honestæ societatis appetitui à natura indito (quandoquidem homo est animal πολιτικόν) omnino prævaleret: ad summum istud μέμνησε ἀπιστεῖν, Ama, tanquam osurus, & cætera, quibus diffidentia modica, dissocians amicitias, tanquam statui natura-

D

li

li convenientissima judicatur, tanquam optima societatis fundamenta percrebescerent. Ne dicam de Rebuspublicis Cyclopicis, ubi εἰς ἑδρὸς ἑδρὸν ἀκίει; de Æsymneticis seu Tyrannicis, deque aliis, ubi τὸ αἰὲν ἀπιστεύειν ἢ ὑπεύροχον ἔμμεναι ἄλλων plus justo commendatur: ac τὸ concedo nulli, item Injuriam malo inferre, quam ferre; malo prevenire, quam preveniri, minus Christiane, imo citra Ethnicorum moratorum suffragium anteponitur illi Pythagorico παράσειν εἶκε λόγοις, & Euripideo

Δυσὸν λεγόντοιν, ὅσις εἰκάζη λόγῳ  
τὸ μὴ εἰκάζοντός ἐσε σοφώτερος

Sane Hobbesiana elementa Philosophica de cive si quis Machiavellicum Systema Politices vocare velit, non valde repugnat laudatus Thomafius l. c. utpote ex quibus ultro sequatur non Machiavellismus modo, sed & Atheismus. Junges notam D. Simonis ad Prolegomena Grotii de jur. B. & P. p. m. 6. Reliquum est, ut has & similes hypotheses, Societatis honestæ, inter omnes omnino, maxime imperantes & parentes, quæ intercedit, jura sanctissima temerantes, sanguine viperino cautius omnes boni devitent.

\* \* \*

**A**B eminenti materie capis  
Ansam loquendi, qua Tua  
spargere,  
Amice, possis dona mentis  
Noridos in cathedra palæstræ.

Hinc

Hinc lætioris suspicor ominis  
Rem, quam subibit sub penetralibus  
Nutrita faustis indoles quam  
Ingenii tua vis secundi.

Non pœnitendis dum studiis tuis  
Moratoris jungere tramitem  
Vitæ soles, Pindoque nexum  
Esse jubes pietatis ignem.



Hinc duplicato robore prælia  
Miscens triumphos multijugos  
feres;

Feres brabei dignioris  
Serta, tuis studiis parata:

Feres coronam, quam tibi texuit  
Pimplea, quod Te vividus im-  
petus

Demisit in nostram palæstram,  
Et reducem statuet Te ovantem.

Signum



Signum decoris , quod bene di-  
sputas,  
Grator , precatus , cedat in emi-  
nens

Jam de Magistratu eminenti, ut  
Emineas in honore facro.

*Ita ὀλοκαρδίως gratulatur*

PRÆSES,



*Coll. diss. A. 115, misc. 30*